

P I S A

1 6 0 8

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

DISPUTATIO IX.
EXERCITATIONVM ETHICARVM
De
LIBERALITATE ET
MAGNIFICENTIA.

Ex initio libri quarti Ethicorum Nicomachiorum potissimum deprompta

Quam

DEO, DUCENTE ET DOCENTE

In illustri Academia VVitebergensi

PRESIDE

M. HENRICO VELSTENIO PHI-
losophiæ moralis Professore publico,
defendendam suscipiet

GEORGIUS-ANDREAS FABRICIVS
Hertzbergensis.

25. Iulij horis & loco consuetis.

Boët. de consolat.

*Tunc solum preciosa est pecunia, quando usu
largiendi desinit possideri.*

VVITEBERGÆ,

Typis Mullerianis Anno 1607.



TRIGÆ VIRORVM
DIGNITATE REVERENDA,
DOCTRINA EXQUISITA,
VITORE VIRTUTUM EXCELLENTE
PRÆSTANTIVM CLARISSIMÆ
DN. PHILIPPO GALLO,
S. S. Theologiæ Doctori, &
Metropolitanæ Magdeburgensis Antistiti Sacro,
DN. PAVLO CELLARIO,
Reverendissimi Capituli Magdeburgensis Secretario, &
ad S. Gangolphum Canonico dignissimo,
DN. M. HIPPOLYTO HVBMEIERO
Poëtæ Lauri Cæsareâ nobili, &
In incluta Saxoniae Gottinga Pædagogiarchæ celebri,
Promotoribus, Fautoribus, Amicis meis

GEORGIUS - ANDREAS FABRICIUS
Hertzbergensis.

Huncingenioli factum,
ut Auctor, ut Respondens,
in mei

Commendationem,
Favorem,
Amorem,

D. D. D.



CONTINUATIO.

Duximus è Peripatu nostro Deas illas
eximias, *Fortitudinem & Temperantiam*, easq;
quòadejus fieri potuit, contemplati sumus. Il-
lam earum rerum gubernatricem deprehendi-
mus, quæ aut timorem aut confidentiam excitare possunt
in *animo* animi vi; hanc verò earum, quæ voluptatem
doloremvè pariunt in corpore. Proximum jam videtur
esse ut eas virtutes, quæ objectorum, voluptatem dolo-
remvè in animo cientium moderatrices existunt, aggre-
diamur. Objectorum autem illorum cum tria sese offerant
genera, *pecunia, honores, & conversatio*, nos, ut singulas pro
dignitate excipiamus, impræsentiarum prioris saltem obje-
cti, utpote pecuniarum Magistras, humanam illam *Libe-
ralitatem*, Regalemq; ac splendidam *Magnificentiam* thea-
tro sistemus & dispiciemus. Nec verò est ut splendorem
& præstantiam harum hoc in limine pluribus commende-
mus, prodeuntēs semet ipsas satis superquè ostendent: Si ta-
men aliquid dicendum fuerit, utraque ejus præstantiæ &
splendoris est, ut quâ ad Deum opt. maximum quàm pro-
ximè accedimus. *Strabo lib. 10.* quâ nihil divinius ha-
bet homo. *Nanzianz.* quâ ceu regio quodam nodo cun-
cta nobis devincimus, quæ nutrit egenos, virtutes alit, for-
tunæ bona in congruentem finem dirigit. *Piccol. gr. 4. cap.*
49. hæc est omnium laudatarum præstantissima, hæc est fe-
licitatis comes, hæc assidet Deo & magnâ est cum ipso ne-
cessitudine juncta. *Gregor. Nyss. Episc. in Orat. De paupe-
ribus amand.*

Sed manu ferendum, non toto sacco. Imò vendibi-
li vino cur hederam suspendimus? quin accingamur cum
Deo ad propositum.

A 2

THE.

THESIS I.

Recuniae & opes quia inter homines vel majores vel minores reperiuntur, duas iisdem distinctas velut Magistras praeficere non abs re visum fuit Coryphaeo illi Philosophorum Aristoteli lib. 4. Eth. c. 1. quem ceu *μυσαγωγόν* sciantur Philosophi plerique; Goelen. disp. 6. Eth. Donald. l. 3. c. 3. Synops. Eth. Gol. lib. 4. Epit. c. 1. & alij.

II. Minorum ergo seu medocrium facultatum rectrix est Liberalitas, quae Philosopho d. l. dicitur *μεσότης περὶ τὰ χρήματα*. Item *μεσότης ἀσωτίας ἢ ἀνελευθερίας*, lib. 1. M. M. c. 24. Item: *μεσότης περὶ χρημάτων κτήσιν καὶ ἀποβολῇ*, 2. Eudem. cap. 4. Speusip. in Platon. definit.

III. Equibus descriptionibus talem forte exstruas pleniorē: Liberalitas est virtus, quae servat mediocritatem in dandis, & accipiendis pecuniis modicis. Donald. d. l. p. 188.

IV. *Ελευθεριότης, ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας*, Liberalitas à libertate nuncupatur, quo innuitur vel dignissimam esse hanc virtutem homine libero & ingenuo, quippe qui spe lucri minime captus, honestatem aliis benefaciendo respicit: vel quod haec virtus à servitute divitiarum, plusquam Aegyptiacā, nos vindicare, & in auream libertatem, instar magnae alicujus Deae, asserere videatur. Camerari. in l. 4. Ethic. Arist. c. 1. p. 157. Danæus l. 3. Ethic. Christ. c. 5. p. 330.

V. Definitio porro tum genere constat, tum differentiā objectum & finem complexā. Donald. d. l.

VI. Genus est virtus. Nam bene uti in, quibus abuti possumus, ad virtutem pertinet. Cum g. aliquando uti hujusmodi rebus pertineat ad liberalitatem, sequitur quod liberalitas sit virtus, & eius actus sit uti pecuniis &c. Savon. lib. 6. Epit. Eth. Conc. 44. p. 681.

VII. Objectum liberalitatis duplex est: propinquum, sive internum; & remotum, sive externum.

VIII. 1. Propinquum, sive internum est cupiditas, studium, & amor divitiarum: quo sensu Graeci forte veniat *φιλαργυρία*, avaritia: tamen vitio potius accommoda. Hinc Bion apud Stobaeum *φιλαργυρία, μητρὸς πόλιν πάσης κακίας*, Et Apollodorus *κετῶσιον τῶν κακῶν φιλαργυρία*.

IX. 2. Remotum sive internum sunt τὰ χρήματα, pecuniae.

X. τῶν

X. τῶν χρημάτων nomine complectimur universum ambitum eorum, quæ usui esse, & pecuniâ æstimari possunt. Nec immerito, suffragante nobis vocabuli, ἀπὸ τῆς χρησεως, ab usu dicti, origine: imò ipso Philosopho lib. 4. c. 1. χρηματα λέγομεν πάντα ὅσα ἡ ἀξία νομισματι μετρεῖται. Nempe igitur & hic dicatur liberalis, qui nudis vestem, qui famelicis cibum, qui ægrotantibus medicinam dederit. Casus lib. 4. Eth. quæst. c. 1.

XI. Ac proinde liberalitatis togâ nō exsuemus eos, qui consiliis et officijs hominibus præsto sunt: quales Iuridici, Causidici & Medicinæ-consulti ὁμόφῃ nobis Cicero, in jure, inquit, cavere, consilio juvare, atq; hoc scientiæ genere prodesse quamplurimis, & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. 2. offic.

XII. Cæterum τὰ χρηματα (quæ jam modò à nobis determinata sunt) genuinum liberalitatis obiectum esse, tribus potissimum rationibus d. 1. probat Aristoteles.

XIII. 1. Ab adiuncto consequente. Laudatur liberalis non propter res bellicas, aut abstinentiam à voluptatibus, aut propter iudicandi dexteritatem, sed propter opum largitionem & acquisitionem. 2. à contrariis extremis. Extrema liberalitatis in opibus excedunt & deficiunt. Iam verò in quibus occupata sunt extrema, in ijs etiam virtus occupatur. 3. à causa efficiente. Quæ virtus facit, ut pecuniis rectè uti possimus, ea circa pecunias versatur. Liberalitas verò hoc facit. Ergo. 4. Nicom. c. 1.

XIV. Hactenus obiectum ipsum: proximum est, ut, quomodo liberalis circa illud versetur, inquiramus. Fit autè vel ratione πῶς χρῆσις vel κτήσεως, ratione, inquit, vel usus, vel possessionis divitiarum.

XV. χρῆσις seu usus positus est ἐν δόσει καὶ δαπάνῃ largitione & sumtu: κτήσις verò ἐν λήψει καὶ φυλάκῃ in acquisitione & conservatione.

XVI. Vbi animadvertendum est, usum divitiarum longè præstantiorem esse ipsa possessione: unde & liberalitatem in erogando potius, quàm accipiendo occupari sex demonstrat rationibus Philosophus. 1. n. virtutis magis proprium est τὸ εὐποκεῖν, quàm τὸ εὐποδεῖν illud autem dantis, hoc accipientis est. Hinc virtutis vox plena Artaxerxis qui cum alteram manum haberet longiorem, dicere solitus est: magis est regium dare quàm accipere. 2. Virtuti convenientius est honestè committere, quàm turpia omittere. 3. Gratiæ & laus est non arripienti, sed eroganti beneficium. 4. Facilius est accipere, quàm dare. Atqui Tendit ad ardua virtus. 5. Non illum qui accipit, sed qui dat beneficium, liberalem dixeris. 6. Liberales propter utilitatem in alios redundantem diliguntur,

questo an dōreos an v. λήπτως ἐνεκα? Adjunge quæ habet Savon. 16. Eth.
Concl. 45.

XVII. Cum verò non quilibet qui dat, aut beneficia confert liberalis dicendus sit, videndum est, quæ liberali ab illiberali dignoscendo, ratione πῶς χρίσσεως, illudq; ἐν δόσει καὶ δαπάνῃ, pensitanda maximè veniant.

XIIX. In δόσει ergo (ut δὲ δώδωσι quam Philosophus præcipit, servetur) tum modus, tum Finis spectandus est.

XIX. 1. In modo attendantur quinque: persona, quantitas, qualitas, tempus, locus. 4. Nicom. c. 1.

XX. 1. Persona tum dantis est, tum accipientis.

XXI. In personâ dantis animum, volumus esse propensum, promptum, & qualem ipse Deus in datore requirit & amat Syrac. 35. bilarem: τὸ γὰρ κατ' ἀρετὴν ἰδὲ καὶ ἄλυστον, ἥκιστα δὲ λυπεῖσθαι inquit Arist. d. 1. Hinc Græci Gratiâ pinxerunt imaginem trium Charitum, ut sunt Aglaja, Euphrosyne, Thalia, quibus indigere volebant, beneficia eroganda esse vultu sereno, animo hilari, & cum voluptate, quæ utrinq; afficiat & dantem & accipientem. Nam:

Sic benefacta cadent: Sic accipientur honore:

Vt frons atq; manus, cor fueritq; tuum.

Ejusmodi ἄλυστος est Cyrus apud Xenophontem, qui jurat, se majore voluptate affici, si juvet alios, quam si ipse ditescat.

XXII. Contra qui ex molestiâ largitur, is non ex habitu virtutis, sed invitus largiri videtur, & sic, quicquid tandem beneficii sit, quod confert, omnem Gratiarum amittit gratiam. Vnde Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro datum, panem lapidosum appellabat. Seneca lib. 7. de benefic.

XXIII. Deinde dantis personam jubemus esse obliuiosam, & beneficii collati immemorem. Exprobatores enim Servulo Terentiano increpandum committimus. πᾶσα μὲν γὰρ ὀνειδισμένη χάρις ἐπεχθῆς καὶ ἄχαρις καὶ οὐκ ἀνεκτὴ. Plutarch. in moral.

XXIV. 2. Ad accipientis personam respiciendum esse monet Philosophus, ne τοῖς τοχθῶσι, quibuslibet, beneficiorum rivulos aperiamus, sed ijs demum, quos dignos iudicabimus. Improbis enim deneganda sunt beneficia, ne in malitia confirmantur, & nobis malefaciant. Syracid. 12. v. 5. 6. 7. Nec enim illi censendi liberales sunt, qui leves & incurabiliter malos beneficijs afficiunt. Benefacta enim malè locata, malefacta arbitior. Ennius apud Cicer. l. 2. off. Et benè Plautus Malo benefacere tantundem est periculum, quantum bono malefacere. In parrulo.

XXV. Digno

XXV. Dignorum autem nomine jure dignatur Cicero 1. Viros bonos. *ad quod scitè admodum Plautus in Mostel.* Bona bonis ferre reor æquum maximè, ut mala malis, ut qui mali sint, habeant mala, qui boni, bona. 2. propinquitate sanguinis vel alia necessitate nobis junctos, *ceu sunt: parentes, liberi, fratres, sorores, cognati, propinqui, domestici, amici.* 3. Cives & populares. 4. benè de nobis meritos.

XXVI. Neq; tamen adeò sumus rigidi, ut omnes omninò beneficentiæ fontes vel ignotis, vel malis, vel inimicis quibusvis occludamus. *ἔξω κακῶν. Sic enim impingeremus in sacros illos Israëlites fontes Mat. 5. Luc. 6. ubi sanè locorum nostris inimicis & improbis benefacere iubemur, si nempe citra bonorum iniuriam, & incommodum manifestum fieri id possit. Tunc enim non moribus hominum, sed indigentia humana dare existimandum est.*

XXVII. Neq; hanc in malos beneficentiam prisci illi ignorarunt Philosophi. Cerrè divina videtur vox Seneca, Gratuitos habemus Deos. Si Deos quidem imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol oritur, piratis patent maria. lib. 4. de benef. Hinc & Aristoteles ipse reprehensus, quod munus improbo dedisset, non, inquit, hominem, sed humanam sortem miseratus sum. Laërt. lib. 5.

XXVIII. II. Quantitas. quæ itidem est observanda tum dantis, tum accipientis respectu.

XXIX. I. Dantis. *Ut cuiq; pro modulo facultatum suarum largiatur, & ita quidem, ut sortem sibi suamq; reservet, de fructibus verò in aliorum promotionem, quod opus est, collocet.* Bene huc Cicero: non ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire nō possit: nec ita referenda, aut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isq; referatur ad facultates. 2. Officior. *Ita ergò dandum, ne alijs sit relaxatio, nobis afflictio, ut monet Apost. 2. Corinth. 8.*

XXX. II. Accipientis. *Ut cuique tantū tribuamus, quantum eius requirit dignitas: liberalitas enim iustitiæ annexa est.* Savon. l. 6. Epit. Eth. Concl. 42. Ergo cuiq; quantum ex iustitiæ præscripto debetur, dandum. Et quidem plus pauperiori, quàm minus inopi, calamitoso quàm felici, amico quàm ignoto, bono quàm improbo. Breviter. Quo maior personæ dignitas benevolentiam nostram invitaverit, eo etiā maior & splendidior appareat. Sic Orho Imperator adhibitis loculis, pecunias domesticis sape imperiis servat à uniuscuiusq; dignitate. Refert L. Brusonius lib. 3. Exēpl. tit. 28. de lib.

XXXI. III. Qualitas. Beneficia accipienti profint, nō obsint. Videndū est igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ profit amicis, noceat nemini, inquit Orat. 1. Off. *Sic prodigo pecunias si adnumeres, puero gladium cōmittes.*

XXXII.

XXXII. iv. Tempus. Beneficia tunc, cum res exigat, erogentur, procrastinatione valere jussa. Omnis enim benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò facere. Seneca lib. 7. de benef. Et idem *perpulcre*: Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quæ trahit poenam, & misericordiae genus est citò occidere, quia tormentum ultimum suum finem secum affert; quod antecedit tempus maxima venturi supplicij pars est: ita major est muneris gratia, quò minus diu pependit. Est enim bonorum etiam rerum sollicita expectatio. l. 2. de benef. c. 5. Hoc satis apposite pictores & statuarii veteres Charitum alatis pedibus expressere: Interpretes est, Alciatus Embl. 162.

Addita cur nuper pedibus talaria: bis dat

Qui citò dat. minimi gratia tarda preti est.

Observavit hoc Cymon, summae liberalitatis homo, quem semper pedissequi cum nummis sequebantur, ut si quis ejus opus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Bruson. d. l.

XXXIII. v. Locus. Et hic deniq, ex honestatis praescripto mensurari debet. πῶ καλὸν, inquit Philosophus, dandū. Beneficia ergo honoris gratia collata palam dare poteris, cum testimonia sint alienae virtutis, quæ celanda non est. Egestatis vero sublevandae causa, privatim, ne fortè ruborem in cutias accipienti: nec enim quinquam est, qui scissuram pallij sui tegere non cupiat. Respexit huc Arcefilaus, qui cum ad Apellem Chium agrum & egenum venisset, propè assidens, illud Empedoclis inquit, atheri, igni aquae datam sedem gratam, sed tu incommode iaces, atque pulvinum excussit, pecuniamq, supposuit; quam repertam anus, cum Apelli nunciasset, ridens Apelles hoc inquit furtum admisit Arcefilaus, nimirum sui similes filios generat philosophia. sic Bruson. d. l.

XXXIV. Modum ἐν δόξῃ vidimus. Sequitur Finis, qui in dando sola erit honestas. Haec enim omnium virtutum meta est. αἱ γὰρ κατ' ἀρετὴν πράξεις καλὰί καὶ τὸ καλὸν ἐν ἑαυτῷ Arist. d. l.

XXXV. Quo fine fixo, non operari Deae nostrae censemus eos, qui alias ob causas πρῶτος sua clargiuntur munera (Magir. hunc in locū) velut 1. qui ostentationis gratia, idq, pharisaicā pompā. Nobiscum hos reprehendit Veritas ipsa, Salvator, Matth. c. 6.

XXXVI. 2. Qui sua dant ideò, ut maiora reportent: & pro gallo culinae suae lucrentur bovem. Hos rectè Isocrates ex liberalitate mercaturam facere dixit; Et rectè Avicenna: Liberalis est, qui extra se donat non propter retributionem: nam qui dat propter retributionem, dicitur venditor vel accommodator, vel fœnerator. Avic. Metaphys. tract. 6. c. 5. Quo referes illud Thriveri: Nihil scelestius est eo, qui pro beneficiis

beneficiis omittis gratiam : ac rursus parum liberalis est, qui exspectat vicissitudinem. Ergo sola ea liberalitas est, quæ nullam exspectat officiorum compensationem, sed duntaxat virtutis dignitatem. Apophr. 65, XXXVII. 3. Qui suis largitionibus favorem & gratiam sibi conciliare nituntur; ut sunt ii, qui muneribus honores & officia, tanquam ignem ex cinere sibi exsuscitant. Et illi, qui in nundinis & mercatibus liberalitatem erga foeminas exercent, dum autem tenaces sunt & vix debitam mercedem miseris servis persolvunt. Guazz. lib. 1. de civil. conver. p. 144.

XXXVIII. 4. Denique qui propterea dant solum, ut à petentium importunitate liberentur, ne omnino inhumani vel sordidi videantur.

XXXIX. Sequitur χρητισ pecuniarum, ratione δαπάνων. Geminum autem liberalis in sumptibus faciendis munus esse arbitramur. 1. Impendere sumptus, si honestè fieri possit. Fieri honestè non potuit Cratetis de sumptibus ἐπιμερίσ: Coquo, inquit, ponantur minæ decem, medico drachma, adulatori talenta decem, consiliario fumus, scorto talentum, Philosopho triobulus.

XL. 2. Parcere sumptibus, si impensa necessaria non fuerint. Quin ergo audiat curream Senecæ regulam: non emas, quod opus est, sed quod necesse. Et Catonis illud, prædium ne cupidè emas. Agricola non emax, sed vendax esse debet.

XLI. Cæterum liberalem ἐν δαπάνῃ μάλιστα totum etiam legibus superius ὡς δὲ νόμος præscriptis, adstringimus. ὅς δὲ ὧς enim hoc est, in qua, quem, ubi & quando oportet, non querulo, sed facili animo expendat omnia.

XLII. Sic fuit χρησις. 2. κτήσις seu possessio versatur. 1. ἐν ἀλφειῇ in acquisitione cuius quatuor proponit viro liberali præcepta Philosophus l. d.

XLIII. 1. Accipiat, unde accipiendum est. Accipere igitur & lucrari etiam liberali non inaneffum, faciat tamen illud, unde decet. Non enim eo loco pecunias habebit, quo avarus, cui etiam turpe lucrum dulce est. Arist. l. d.

XLIV. 2. Non sit αἰτητικὸς petax, & in postulando importunus. Beneficus enim non facile beneficium accipit, sed dare mavult, quam accipere. In hoc peccavit graviter Alphonsi Regis eques, qui ab hostibus captus & vinculis tandem solutus, à Rege in calamitatis solatium plurima postulavit, iuxta ac impetravit. Rex cum ad suos rediret: Dispeream, inquit, metui, ne etiam uxorem meam posceret eques meus Arist. l. d.

XLV. 3. Liberalis rem suam studeat augere, non eum in finem, ut magnos & ingentes sibi thesauros cumulet, sed ideò, ne destituatur, quibus se suosque honestè alere, & alijs pro re-nata succurrere possit. Arist. l. d.

XLVI. 4. Be-

XLVI. 4. Benefactor alijs de suis capiat provētibz & facultatibus non alienis: *Audiat ergo Terentii illud.* De tuis largitor puer. Arist. l. d. XLVII. Ἀντὶν sequitur. 2. φυλάκῃ seu rei partæ custodia: *Nam:* Non minor est virtus, quā quærere, parta tueri. Ovidii est, quod excipit illud Comici. Qui homo maturè quæsit pecuniam, nisi eā maturè parsit, maturè esurit. 1. Ergo rem iam auctam & partam non negligat liberalis, sed cura qua potest tueatur, ut ubi honestas iusserit, egestas proximi poposcerit, tempus monuerit, locus invitaverit, nostræ huius virtutis habitu longè splendidissimo indui, & cum Tito Imperatore amor & delicia generis humani saluari queat.

XLVIII. 2. Atqui rei familiaris eiusmodi habeat curam, ut dando excellat, & alijs meliora, sibi deteriora reseruet. τὸ γὰρ μὴ ἐπιβλέπειν ἐφ' ἑαυτοῦ ἐλευθερίῳ Philos. d. l. nec enim illud ad se pertinere putat: Genu su-
ra propius: proximus egomet mihi. Arist. l. d.

XLIX. 3. Deniq; custodiæ non erit pars minima, si as caveat alienum, nec temerè spondeat. Huc multa. Sed quia longius nobis peregrinandum est, leviora hæc præteribimus, Visuri in progressu, quænam à mediâ & regia illâ via liberalitatis viæ aviæ homines plerumq; abducant.

L. Harum duæ trita satis, & conspicua sese nobis offerunt, Prodigalitas nempe & Avaritia, quarum illa ratione τῆς χρείσσεως divitiarum excessus; hæc defectus: ratione verò τῆς κτήσσεως illa defectus; hæc excessus est. Arist. lib. 2. c. 7. & l. 4. c. 1. M. M. lib. 1. c. 24.

LI. 1. Prodigalitas est vitium modum in nimium dando, & parum, aut inhonestè accipiendo violans. Donal. d. l. pag. 196.

LII. Dicta hæc Latinis prodigalitas à prodigendo, dilapidando, perdendo, cui notationi non incongruè Græca Aristotelis vox ἀσώτίας respondet, dicta ab α & σῶζειν, quod ea, quæ prodiguntur, & hinc inde dilapidantur, servari facile nequeant, vel quod prodigi nec suas opes servent, nec ipsi servari possint.

LIII. Simplex est, vel mixta. Donald. d. l.

LIV. Simplex est quæ in res quaslibet temerè facultates profundit sine spe ulla receptionis.

LV. Peccat ergo .1. in excessu, eò quod intempestivè det & fundum largitionū nesciat. 2. in defectu, eò quod nil recipiat sua nec augeat, nec custodiat.

Exempla huius apud auctores tam multa reperias,

Quam multa in sylvis autumnī frigore primo

Lapsa cadunt folia.

LVI. Verum & levior folijs est ipsa caducitas: non enim diuturna: namq; actiones eius coire & diutius simul esse nequeunt: Nil quippe difficilius videtur quam omnibus dare velle & interim nihil recipere. Hinc sit, ut si privati hæc

contingat, quod celeriter ad inopiam redigantur. Innuerat hoc Diogenes, quod ab alijs obulum petiit, à prodigo verò huiusmodi minam. Causam sciscitanti, ait, & reliquis me denuò aliquid accepturum spero, abs te verò num aliquid in posterum, Deorum in genibus situm est. Laërt. l. 6. c. 25. Francis, Patr. de repub. l. 3. c. 1. & l. 4. c. 9.

LVII. Ergo reges, & illos, quibus fontes scaturiunt profundiores, & maior est opum affluentia, & ὥστε ne facile dixeris. 4. Nicom. c. 1.

LVIII. Caterum hoc modo prodigum avaro longè esse præstantiorem cum Philosopho statuimus: idq; ideo 1. quod avaro sanari facilius queat. 2. quod non tam malitiâ, quam stultitiâ peccare videatur, & tandem 3. quod pluribus usui & iumento sit, quàm avarus, qui nemini unquam benefacit, nisi tum quando moritur. Arist. l. 1.

LIX. Mixta prodigalitas est, quæ partim cum illiberalitate, partim cū alijs vitiis, maximè verò cū intemperantiâ congregitur. Vel quæ ab alijs per iniuriam aufert, quod alijs immoderatè tribuat. Donald. d. l. Unde non solum est prodigalitas, sed etiâ illiberalitas, avaricia, rapacitas, iniustitia, intemperantia. Huiusmodi prodigus tū dando, tū accipiendo peccat.

LX. 1. In dando: Quod largitionum quidem cupidus, ὁ δὲ δῶδός τις verò illam modo & sine definitâ non servet. Atq; hac ratione à liberali differt: hic enim honestatis sine erogat sua: quid verò cum honestate huiusmodi prodigo, cui iucundior amoris & gulae voluptas, imò modū qui servat? suos nempe lascivia & inense socios, quos præstabat esse pauperes, locupletat: Bono verò cuidam Platoni vix triobulum, cum Cratete illo, adscribit. Talis fuit Tigellius Hermogenes, de quo Horat. l. 1. i. Serm.

Ambubaiarum col legia, pharmacopola,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli,
Quippe benignus erat.

LXI. 2. Accipiendo. Propensus est ad accipiendum, ut quod perdere ac profundere possit, habeat. Non autem accipit unde erat accipiendum. Sive ergo sit raptum, sive captum, modò Gnattonibus suis, & meretricibus sit aptum, parum æstimat. De his Cicero: Cum dando, inquit, egere ceperint prodigi, alienis bonis manus adferre coguntur. Officior. 2. Et mixta huius, reperias, et vel cotidie tot videas exempla, quot muscas in æstate mediâ.

LXII. Avaricia vel illiberalitas (quamvis hoc vocabulo dici posse videatur & prodigalitas) vitium est in nimium accipiendo retinendoq; modum excedens. Arist. 2. Eth. c. 7. Donald. d. l. Vitium hoc (quod velut omnium vitiorum mater existimatur) graphice depingit Valer Max. l. 9. c. 5.

LXIII. Præterea ἀνίατον & insanabile esse, aut certè difficulter curari posse, duobus argumentis Arist. concludit.

B 3

LXIV

LXIV. 1. Morbus enim est senibus maxime & facillime adhærescens. Nam hi, cum sufficientibus ad victum & amictum querendum viribus se spoli-
atos sentiant, ventrem quidem adhuc, sed oculos re sua implere nescientes, opes,
quas possident, pertinacissime tuentur, aliorumque insuper arripiunt appetunt:

Ceu miser in mediis sitiens stat Tantalus undis,

Et poma esuriens proxima habere nequit.

Hanc vero vitiorum Cacoethen senibus extirpare quis posset? Præstare
si quis conetur, is cum Diogene fateatur necesse est, qui cum protervum quens-
dam castigaret, rogatus quid ageret: Æthiopē, inquit, abstergo, ut difficul-
ter candidum reddam. Dixerim ego cum Seneca: senex psittacus fe-
rulæ non adsuescit.

LXV. 2. Quia naturâ homines ad avaritiam proclives. Innatum
nim est nobis, ut propter nostri conservationem magis cupidi simus ad possi-
dendum, quam proni ad erogandum. Atqui ἡμαρὸν δὲ κερύφοι τὸ οὐ γυν-
εσθῆναι. Difficile est occultare morem naturæ. Pindar. Olymp. 3.
Et: πῶς δ' ἀλὶς οὐκ ἀποτίθειται τὸ κατὰ σιντοὺν οὐδ' ἀδιδέχεται τὸ μέλαρ.
Pardus non deponit pellis maculas, neque nigrorē Æthiops, ut refert ex Nazi-
anz. Iunius cent. 7. Imò. Custode & curâ natura potentior omni. Iuv. sat. 10.

LXVI. Avarorum genera duo constitui possunt. 1. qui in dando
deficiunt. 2. qui in accipiendo modum excedunt.

LXVII. 1. Qui in dando deficiunt, φειδωλοὶ καὶ γλιχφοὶ Græcis,
parci & avari Latinis dicti, minus quidem, quam debebant, vel planè nihil
de suis facultatibus erogant: interim tamen nemini suo dolo aut vi, auferunt. In
horum gregem referes eos, qui cum insectoribus, a quodam, qui minutissimum
cuminum semen in hereditate dividi voluit, dicti consueverunt. Arist. 4.
Nicom. cap. 1.

LXVIII. Et hi quidem suum defraudant genium, & non solum alijs non dant:
sed nec sibi ipsis, quod satis sit, etiamsi vel Crassi & Crassi divitijs abundant.
Adeo enim sunt excordes, ut solo pane mucido, vappâ, & larido subran-
cido se expleant: imò sunt illi, qui proverbij notari salem lingunt, pas-
cuntur rore, foliis arborum, fecibus & glandibus vescuntur. Ve-
nuste Alciatus huiusmodi parcos, seu porcos asinus comparat, Embl. 85.

Cui similem inquit, dicam hunc inopem quæ copia reddit?

Anne asino? Sic est. instar hic ejus habet.

Namque asinus dorso preciosa obsonia gestat,

Sequē rubo aut durâ carice pauper alit.

LXIX. Atque huiusmodi ab alienis simul abstinent, neque multa sibi dari optant,
vel quia iniquum fore agnoscunt; vel quia si ab alijs quid accipiant, se quoque
dare oportere, arbitrantur.

LXX

LXX. 2. In accipiendo qui excedunt, *αἰχμαλωτῆς* seu turpilucres dicti, turpi lucro iniungant, & quacunq; ratione possunt, per fas & nefas opes congerunt.

LXXI. Horum duo rursus ordines sese offerunt 1. Qui lucrigratiâ artes & negociationes exercent illiberales, sordidas, inhonestas: quales sunt: lenones, parasiti, scorta, causidici & milites impij, Sicarij, *δωροπῶλοι* Gnathonici, qui cum vel moriuntur ad munera captanda manum porrigunt. Quibus accensse foeneratores, & mercatores eos, qui propipere muscerdam, haut rarò, miseris obtrudunt rusticis, vel alio pacto in contractibus defraudant. Sed illis bonus, quod dicitur, odor ex re quolibet; his verò, quod apud Platonem est, maxime arridet: utile honestum, quod noxium turpe.

LXXII. 2. Alterius ordinis turpilucres sunt, qui vel propter exiguum etiam lucellum (*miseri*) quævis difficilima & maxima pericula, ac labores subeunt, ceu sunt piratæ, prædones, fures, quorum tamen extrema merces patibulum, ignis, rota:

Vsq; adeò solus ferrum mortemq; timere
Auri nescit amor. — Lucan.

LXXIII. Atq; sic fuit liberalitas, seu ea virtus quæ mediocribus, privatorum hominum, facultatibus magistra constituta est: illa nunc sequitur, quæ majorum facultatum præses est, & splendore suo liberalitatem multis parafangis antecedit Magnificentia.

LXXIV. Differt ergò à liberalitate 1. τῶν ἐν ἐργασίᾳ, seu actionibus. Liberalitas versatur circa actiones omnes, quæ & δόσις & λήψις, & quæ his cognatæ sunt concernunt: Magnificentia verò tantum ad χρεστικὰς & quidem non tam ad δεικτικὰς, quam ad δαπανητικὰς ἀποχὰς seu sumptus actiones spectat. 2. μεγέθει. Liberalitas circa mediocres: Magnificentia circa amplos & honorificos sumtus occupatur, attestante Ciceron. 2. off. Arg. etiam, inquit, ille impense meliores sunt, muri, navalia, portus, aquarum cunctus, omniq; quæ ad usum Reip. pertinent. 3. τῇ ἀπολαυστικῇ consecutione: Omnis quidem magnificus liberalis; sed non omnis liberalis magnificus.

LXXV. Definitor ergo Philosopho lib. 4. c. 2. hoc modo. μεγαλοπρεπείων ἐστὶ δαπάνη καὶ μέγεθος πρὸς πλοῦτα. Sumtus seu impenia in magnis decora. Plenius: Magnificentia est virtus in magnis sumtibus erogandis mediocritatem servans. Donald. 1.3. c. 4. p. 201.

LXXVI. Magnificentia vox etiam si hodie ijs, qui in summo aliquo honorum gradu constituti sunt, attribuat: nisi tamen hi ipsi huic quoq; virtuti operentur, abusive hoc nomine participes fieri asserimus cum Donalds. d. 1.

imò cum Aristotele, qui quomodo usurpatam velit, ex modo dictis & dicen-
dis adhuc manifestum.

LXXVII. Cum autem hæc virtus ἀπὸ τοῦ πρέσβειρος à decoro
nomen sortita sit, quomodo & in quibus decorum illud spectari
debeat, consequenter videndum est.

LXXIX. Majoris perspicuitatis gratiâ decorum illud confide-
rabimus tum in causa, tum in effecto.

LXXXIX. Causa duplex sese hîc offert. Efficiens & instrumen-
talis.

LXXX. Efficiens est Vir magnificus, in quo decorum spectatur vel
ratione sui, vel ratione objecti.

LXXXI. 1. Ratione sui. Magnificum volumus esse non pauperculum, vel
quem fama obscura recondat, è mediâ plebeculâ hominem; sed virû principem,
in officio aliquo summo & eminentissimo constitutum, genere clarum, & opi-
bus honestè partis abundantem. Eapropter rectissime Thebani, urbis suæ mo-
nia meretriculæ sumptibus restitui volebant, quod eam neq; honestam, neq; opi-
bus honestè partis instructam, novissent.

LXXXII. 2. Ratione objecti. Magnificum requirimus ita compa-
ratum, ut præcepta & leges liberali viro præscriptas servet, ratione tum finis,
tum modi. Magnificentia enim aliud nil est, quàm magna & splen-
dida quædam liberalitas & liberalitatis culmen. Piccol. G. 4. c. 49.

LXXXIII. In instrumentali causa, sumtibus videlicet, (qui suo respectu
rationem objecti habent) decorum se habeat hoc modo. Sint sumtus magni,
largi, copiosi. Magnos enim magna decent; parvos parva: & quò major
erit magnificus, eò etiam majores faciet sumtus. Sic Casarem majores de-
cent quam Electorem: Electorem majores, quam Comitem. &c. Sic Alexan-
der, cuidam, cui urbem dono dedisset, dicenti, non convenire fortuna suæ:
non quaero, respondit, quid te accipere deceat, sed quid me dare.

LXXXIV. Effecta deniq; seu ipsa opera quod concernit: in gene-
re ea debent esse pulcra, ipsis sumtibus pulciora, utilissima, honoratissima,
itemq; πολυχρόνια, seu durabilia. Eaq; sacra, vel profana.

LXXXV. Sacra: quæ propter cultum divinum à magnifico institu-
untur. Ceu sunt: anathemata, templa, vestes sacre, redditus Ecclesiastici, &
similia. Sic David Rex Israëlitarum auri, argenti & æris ingentem vim
ad ædificationem templi filio Salomoni reliquit, qui & illud sumtuosissimâ
structurâ perfecit 1. Reg. 6.

LXXXVI. Opera profana publica sunt, vel privata.

LXXXVII. Publica sunt, quæ in publicum usum à Magnifico
parantur, & exstruuntur, ut sunt urbes, Academia, nosocomia, porticus, pon-
tes, ar-
tes, ar-

tes, triremes &c. Vrbes fundarunt Antiochus Laodiceam; Darius Sus-
sas urbem Persidis; Ninus Niniven: Ocnus Maniuam: Alexander in Aegypto A-
lexandriam: instaurarunt: Iulius C. Corinthum & Carthaginem, M. Anto-
nius Smyrnam mota terra laceratam & conquestam. Academias funda-
runt: Fridericus Sapiens Dux & Elector Saxonia hanc nostram V Vitebergen-
sem; Iohan. Frid. D. & El. Sax. Ienensem. Reliquorum exempla innumera a-
pud Autores. Huc referre potes septem illa mundi miracula, qua recen-
set Cæl. Rodig. lib. 23. lect. antiq.

LXXXIIX. Privata sunt, quæ ipsum magnificum & suos spectant.
Huius generis sunt aedificia privata, supellex aurea & argentea, vestes, &c. Sa-
lomon regiam sibi fecit candenti pavimento, triplici intus materiâ, cedro,
argento & auro, quod opus absolvit tredecim annorum spacio. Sic Regia La-
tini Regis centum columnis fuit sublimis, & cedrinis avorum simulacris orna-
ta. Virg. 7. Aneid.

LXXXIX. Extrema & hîc notabis duo: unum in excessu, alterum
in defectu: illud luxus, hoc sordes dicitur, Arist. l. 2. cap. 7. lib. 4.
cap. 2.

XC. Luxus (Aristoteli ἀπεροκαλία ἢ βαυανσία, decori inscitia
& inepta splendoris affectatio) vitium est in magnis sumptibus e-
rogandis modum excedens. Exemplo est Cleopatra, quæ Antonio, u-
no haustu, totam Aegyptum propinavit.

XCI. Peccatur hoc vitio & materiæ & formæ & finis ratione.

XCII. Materiæ: Cum in res quaslibet minores sumtus sunt splendidi-
ut si quis coquos purpurâ ornet, nosocomia e marmore exstruat, equis & ca-
nibus splendida sepulcra instituat. Sic Antoninus Severus, equo suo viventi
simulacrum aureum fieri iussit, & mortuo splendidam sepulturam.

XCIII. Formæ. Vix vel maximè ad rerum magnitudinem pervenia-
tur, operum tamen nulla sit gratia, nulla elegantia, nulla duratio. Huc refe-
remus illos, qui, ut Cicero 2. Off. ait, epulis & viscerationibus, & gla-
diatorum muneribus, ludorum, venationumq; apparatu pecuni-
as profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nul-
lam sint omnino relicturi. Sic Plinius de Nerone scribit, felicem illam
Arabiam non tantum Cinnami, Casia aliorumq; odorum annuo fetu parere,
quantum Nero princeps novissimo pompæ suæ die concremavit.

XCIV. Finis. Non enim honestatis, dignitatis, vel necessitatis publicæ
causâ, sed vanæ tantum sactantia & ostentationis gratiâ affectatur magnificen-
tia. Sic Nero sordidos & parcos vocabat, qui rationem ullam impensarum habe-
rēt; illos vero lautos & magnificos deprædicabat, qui abuterentur & perderent.

XCV. Sordes seu μινγοπρία est vitium in sumptibus magnis in-
decorè deficiens, seu: est indecora in magnis operibus efficiendis
parsimonia.

XCVI.

XCVI. Tripliciter hoc vitium videtur committi: In principio, medio & fine operum.

XCVII. In principio. Cum quis nimis diu cunctetur in faciendis sumptibus, ringitur, angitur, cogitans, quomodo per minimos sumtus incipiens opus perfici queat.

XCIX. In medio. Quando quis cum gemitu & dolore pecunias erogat, & se majores expendere, quam par sit, existimat: ideoque in medio operis saepe deficit & imperfectum relinquit.

XCIX. In fine: Cum quis propter parsimoniam intempestivam exiguae aliquis pecuniola, perdit gratiam omnium precedentium sumptuum, etiam maximorum. Ut si quis domo splendide exstructa, pecunia tandem in novis scamnis aut fornacibus comparandis parceret.

C. Sub finem ex Philosopho nostro sciendum, hæc extrema, quantumvis vitiosa sint, probrosa tamen adeo non esse: 1. quia damno non sint proximo. 2. Nec habenti magnoperè dedecori. Interim tamen & hoc notandum, si habitum spectes interiorem, vituperio esse dignum: Sin vero actiones externas, aliud vitium plus, aliud minus habere probri.

Hactenus διμάρτα; nunc ὑπάρτα.

QVÆSTIO I.

An magnificentia & liberalitas specie differant?

Pro affirmativa sententia passim decertant Philosophi, nescio an satis pro Philosopho. Rationes afferunt eas etiam, quas in thesibus ex Aristotele adposuimus. 1. Quia actiones, inquit, utriusque virtutis diverse sunt, hoc modo, quod liberalitas ad omnes actiones, tum ad κτῆσις, tum ad ἑστῆσις divitiarum spectantes, se extendat: Magnificentia verò maxime, & solum ferè ad τὰς δαπαναζὰς, actiones sumptuosas. 2. Quia liberalitas parvos & mediocres; Magnificentia verò non nisi magnos sumtus moderatur. 3. Quia omnis magnificus liberalis quidem; sed non contrà. 4. Addit Acciaiulus in l. 4. Arist. c. 2. alia, inquit, est recta ratio, quæ mensurat actus liberalitatis; & alia, quæ mensurat actus magnifici. Alius ergo & diversus est modus utriusque virtutis. 5. Idem l. d. Fine differre dicit. Ex liberalitate sequitur opus gratum huic vel illi; ex magnificentia verò opus commune & publicum, tum magnum atque decorum. 6. Additur denique distinctio liberalitatis in generalem & specialem, quarum illa magnificentiam & liberalitatem propriè dictam seu specialem, tanquam species suo complexu contineat. Sed hæc multorum vesca

vesca, plurimorum non est esca. Et sanè à Musis non adeò infestis & infautis profecta videtur ea sententia, quæ in negativam quæstionis concedit. Si enim distinctio specie acceptanda fuerit, ea non aliunde nisi ab obiecto, & actionibus utriusq; virtutis erit petenda. i. Obiectum ergò si spectes, est illud Liberalitati & Magnificentie commune. Illud enim sunt pecunie seu τὰ χρηματα, circa quæ utraq;. At parùm videtur obstare, quòd magnificencia magnos, liberalitas parvos sumtus gubernet. Accidentarium enim hoc solùm discrimen est. Atqui accidentis ea vis non est, ut speciem constituere valeat. Nam & Philosophum qui hac ratione defendere sat agunt, ipsi Philosopho bellum indicant necessum est. Huic enim magis & minus non variant speciem. i. polit. Zabarel. lib. de mist. c. 7. ii. Actiones ubi perpenderit accuratius, utraq; virtus in sumtibus faciendis occupatur.

Pro decisione quæstionis, & declaranda sententia nostra dicimus. i. Liberalitatem & magnificentiam differre quidem inter se, & ab invicem sive modo, sive fine, sive efficiente, sive secundum magis & minus, commodè distingui posse: interim, tamen non specie. Ea propter minimè nos panitet assertionis in thesibus positæ, ubi argumenta, quæ hic pro affirmativa sententia allata sunt, ex Aristotele recensuimus: Illa enim discriminè quidem hæc inter virtutes esse probant, quòd & nos prolixè largimur, diversas autem species nò efficiunt. Nec enim & Philosophum eam voluisse tunc ausim asserere. Cur enim specie statim differat, quorū tractatio in diversis capitibus instituitur? sufficit vel illud, quòd secundum excellentiam ab invicem distinguantur. Omnium enim propè virtutum sua excrementa sunt & decremента, cum si habitum spectes & actiones, tum si obiecta & exteriora adminicula. Hinc rectè Piccolom. G. 4. ph. M. c. 49. Magnificentiam liberalitatem Heroicam, & liberalitatis quasi culmen & apicem nominat.

ii. Quia virtutes perficere debent hominem, ideò eundem respiciant necesse est. Cum autem inter homines reperiatur distinctio, ut alius emineat dignitate & opibus, alius non: Ita quoq; virtutes sese ad eos habebunt. Sicut ergo superior ab inferiore, dives à paupere, Cæsar Dictator à Cassia specie non differt: ita nec virtus.

Ex quibus videre est, prioris opinionis rationibus suam etiam manere veritatem, si videl. discrimen secundum gradus, ratione vel efficienti, vel obiecti, vel effecti, statuatur: id quod singulis ferè concluditur. Cæterum ad rationem Sextam, quam multi ceu gloriosum quendam militem in scenam introducunt, & velut caput Gorgonis obijciunt, respondemus, quòd etiamsi vel maximè concedatur, liberalitatem, tanquam genus quoddam consideratam, magnificentiam & liberalitatem propriè dictam, sub se complecti: attamen de liberalitate propriè sic dicta, eadem difficultas orietur. Si enim ea ipsa est, de qua Ari-

C

stote-

Stoteles agit lib. 4. c. 1. quæ in sumtibus parvis seu mediocribus exercetur,
quæro quid ea à magnificentiâ differat. Et hic aqua hærebit rursus.

QVÆSTIO. II.

Ad quam virtutem cardinalem liberalitas & magnificentiâ referendæ?

Sunt qui quatuor virtutes faciunt, vt vocant, Cardinales, Temperantiam, Fortitudinem, Prudentiam, Iustitiam, ad quarum generalem rationem, quia circa principales materias versantur, reliquæ omnes morales reduci posse videntur. Savonarol. lib. 4. Epit. Eth. concl. 17. Non abs re igitur quæritur, ad quamnam illarum liberalitas & magnificentiâ sint referendæ? In diversas hic abeunt sententias Ethici. Acciajoli in lib. 4. Arist. c. 2. calculum suum sententiæ videtur adijcere isti, quæ Temperantiæ eas adscribit. Ratio. Liberalitas versatur circa affectus. Temperantia idem. Illa enim circa pecuniarum cupiditatem; hæc circa cupiditatem voluptatum corporis. Ergo quia obiecto interno conveniunt potissimum, uno federe facile coniungi poterunt. Savanorola lib. 6. Epit. Eth. concl. 42. rectè quidem liberalitatem iustitiæ annexam esse dicit. Sed paullo post lib. 7. Concl. 12. magnificentiâ fortitudini, ut virtutem specialem adsociat, ex eo quod ad aliquod arduum & difficile unâ cum fortitudine tendat: unde etiam eo ipso in loco Magnificentiâ in irascibili; liberalitatem in concupiscibili statuit. Cicero simpliciter hanc virtutem iustitiæ accenset, cuius sententiæ & nos assentimur libentiùs: videtur enim veritati proxima, id quod ex subsequentiis cape: 1. Quemadmodum iustitia exercetur erga alios: Ita etiâ liberalitas ad alios sese extendit. 2. Quemadmodum iustitia cuiq; tantum dat, quantum ei secundum proportionem debetur: ita etiam liberalitas hoc sibi habet præceptum, ut cuiq; pro dignitate & necessitate largiatur. 3. Quemadmodum nemo potest esse liberalis, nisi etiam sit iustus: ita etiam qui est avarus, iniustus etiam est.

At notandum hoc loco, quod rectè monet Savon. d. I. liberalitatem, quia ad alios est, cum iustitia quidem convenire; in eo tamen differre, quod iustitia alteri, quod ejus est; Liberalitas verò, quod suum est, exhibeat. Cæterum, ad argumentum Acciajoli R. I. Aliam esse cupiditatem, circa quam temperantia versatur, & aliam, circa quam liberalitas. 2. Omnibus quidem virtutibus quandam esse temperantiam (vocabulo latè accepto) videl. inter excessum & defectum; non verò ideo omnes virtutes Temperantiæ propriæ

proprie dicta adherere. Savonarola aliquid quidem movere, sed parum premovere videtur. Non enim ideo magnificentia fortitudini accensenda, quia ad aliquod tendit arduum: etenim omni

Dij quoque sudorem virtuti præposuerunt,
Ad quam longa via est atque ardua & aspera multum.

Quia verò Magnificentia nil aliud est, quam splendida quædam liberalitas, & liberalitatis culmen, jure etiam eam cum liberalitate ad justitiæ domicilium remittimus.

Q V Æ S T I O III.

An liberaliores qui de acquisitis; an qui
de hæreditariis donant?

Eos, qui divitias ab aliis partas, & vel per hæreditatem, vel donationem, vel alium quempiam casum ad se perlatas, possident, liberaliores esse illis, qui eas proprio labore & sudore pepererunt, vel etiam Germani nostri proverbio probant: *in eines andern Ohr ist gut schneiden*. Aristoteles id ipsum gemina ratione confirmat. I. Qui vel ex donatione, vel hæreditate accipiunt, paupertatis onus humeris suis nondum portarunt, ita ut quid pauperes sit, propemodum nesciant: quid divitiæ, ad quid valeant & prosint, experiri adhuc debeant. Hinc plerumque fieri asserit, 2. Rhetor., Philosophus, ut adolescentes magis sint liberales, quam senes. Vnde nec mirum si ipsis familiare sit vitium prodigalitatis, ita ut raro querant, quanti valoris far sit; sed potius in Veneres & Iunones conferant talentum, quam in Chironem aut Platonem nummulum. Contra qui opes proprio labore congefferunt, sudorum & laborum memores, magis eas deamant & custodiunt. Quæ enim constant labore magno, magno etiam amore tenentur. II. Omnes magis sua diligunt, quam aliena. Probatur parentum & poetarum exemplo. Parentum enim φιλοσογία quanta sit, etiam in liberos, quovis Therfite deformiores & fediores, nemo nescit. In Poëtis id animadvertit Cicero: nemo unquam, inquit, nec poëta, nec Orator fuit, qui quempiam meliorem se arbitraretur. Et (Idem) suam cuique sponsam, mihi meam, suum cuique amorem, mihi meum.

Cæterum hic dubium moveri poterit istud: liberali lex præscripta est, ut de suis largiatur: quod si ergo aliquis de alienis beneficus sit, liberalis dici non poterit nedum illo, qui labore sibi paravit divitias, liberalior. Verum inest vocabulo Suis æquivocatio. Non enim de ijs solum acceptatur,

tur, quæ quis labore sibi conquirit; sed de iis omnibus quæ jure quis possidet. Tutò ergò Liberalitatis habitu induatur, qui ex hæreditariis bonis beneficus est, modò reliquis liberalitatis legibus haut invitè subscribat. Pro determinatione tandem quæstionis commodiore notandum, quod si uterq; (& qui sua sibi bona acquisivit labore, & qui hæreditate habet) aquali farre & animo ad aras Deæ nostræ compareant, hoc est, si æqualia, servatis utriusq; liberalitatis legibus, conferant, illum qui è sudoribus suis aliquid elargitur, altero illo, qui ex hæreditariis donat, liberaliorem esse, idq; idè quòd ex bonis magis suis, tam respectu acquisitionis, quàm possessionis erogat; alter verò ex bonis possessione suis tantum. Atq; etiam nos tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO IV.

An liberalis facilè ditescat?

Hieremias Thriværus Brachelius Medicus apophth. 102. quò quis, inquit, sæpiùs docet, eò vadit doctior; & quò quis plura liberaliter dat, eò fit ditior. Quæstionis hæc affirmativa sacre scripturæ dictis passim videtur nobilitata: Ecclesiastici 40. v. 17. Benignitas est instar horti fertilis, & beneficentia in perpetuum permanet. Proverb. 28. v. 27. Ei qui dat pauperi non erit inopia: & avertenti oculos suos erit multitudo maledictionum. Proverb. 22. vers. 9. benignus oculus benedicetur. Atqui: Benedictio Iehovæ dat, citra etiam molestiam, ut est, cap. 10. vers. 22. Hæc & alia multa mirifico apparatu affirmantem sententiam stabiliunt: Cur enim non ditescat cui horti fertiles, cui nulla inopia; cui benedicetur eà benedictione, quæ vel maxime dat citra molestiam? Quam in sententiam non invenustè inquit Ioh. Clucht: Non facile quidem ditescit liberalis &c. non tamen permittit divina providentia liberales in extremam devenire paupertatem. Verum bona externa sufficienter eis impertit, quibus liberaliter utantur. Sed quishæc ut sapiant Philosopho nostro persuadeat. Liberalem enim non ditescere sic probat: 1. Quia liberalis non est (ληπτικὸς ἢ φυλακτικὸς) in accipiendo & custodiendo tam attentus, quàm (προετικὸς) ad erogandum proclivis. Qui autem parum accipit, multum largitur, parum ditescit. 2. Non æstimat pecunias propter se ipsas, ἀλλ' ἐνεκὰ τῆς δόσεως. 3. Experienciâ edocemur liberales opibus ita non esse instructos, ut avaros. Vnde vulgus hominum cecum illum Plutum & Fortunam accusare solet, quasi iniquè distribuant sua bona & opes. Hinc ea exclamatio apud Senecam in Hercule furente: O Fortuna viris infida fortibus, quàm non æqua premia donas!

Sci

Sic ergo bellum videtur indicare sacra scriptura Philosophus. Quid nos autem? an velut milites profugi imperatorem devictum deseremus, quis n. contra tot S. literarum turmas consistat? Fortè medium inveniemus hoc modo: Beneficiorum illa retributio, & benedictio divina obtingit pijs liberalibus, partim ratione bonorū spiritualium, partim etiam corporaliū: & quidem si non semper hac in vita; certè in futura ista. Sed quid Aristoteli cū eiusmodi tam enim vidit Ethnicus, quàm vidit occaecatus Polyphemus ē spelunca sua Vlyssē: ut hic meritō fateatur, quod alibi de natura manifestis: Mens nostra non aliter se ad hæc habet, quàm nocturne oculus ad lumen solis. Tantū itaq; hoc ipsum rationis dictamine movit, quod multum dare, parum verò accipere velle, res longè sit difficilima & ad opes accumulandas via maxime avia. 2. Nec simpliciter impossibile esse concludit, liberalem ditescere; Sed tantum οὐ πρόδιον, inquit, τὸ πᾶν εὐθέρδιον πλῆρες non est facile, ut liberalis ditescat. ad summam: Aristoteles divine promissionis planè nescius aliter ex ratione, quam ducem sibi proponebat, concludere non potuit neq; habuit, quod de divina ista benedictione, qua in verbo revelata, vel sibi vel aliis polliceri potuisset. Et sic forsā pax constabit. At nos salva S. Scriptura auctoritate à latere Capitanei nostrī stare pergitur.

QVÆSTIO. V.

An liberalitas ex quantitate sit iudicanda?

Dexterrimè de questione hac indicat Aristoteles: æstimandam enim censet liberalitatem non τὸ πλῆθος τῶν δίδωμένων multitudine eorum, quæ dantur, ἀλλ' ἐν τῷ δ' ὀπτὸς ἔξει, habitu seu animo & voluntate dantis, eiusdemq; οὐσίων seu facultatibus. Fieri enim potest, ut longè liberalior sit is, qui pauca dat, si tenuiori sit fortuna; quàm qui plura, si admodum sit dives. Atq; idem censent illi: qui liberalitatis praxin vel interiorem faciunt, vel exteriorē, interiori nempe seu animo pauper liberalior potest esse divite, qui tamen pauperem exteriori vincit. Proinde Chrysippus Pansienus dicebat, quorundam se malle iudicium, quàm beneficium: & quorundam beneficium, quàm iudicium: malo, dicebat, Divi Augusti iudicium, quàm Claudij beneficium.

Idem hoc Salvatoris nostri iudicium de viduā Luc. 21. quam, cum duo tantū minuta in gazophylacium coniecisset, multò liberaliorem ditioribus, qui plura contribuerant, pronunciat. Hi enim ex abundantia sua dederant, & vix millesimam pecuniarum suarū partem; illa verò totam fere substantiam effuderat. Ceterū nil moramur vulgi iudicium, quod virtutes exteriori potiùs specie, quæ oculis est obvia, quàm interiori habitu, qui in conspectum non venit, trutinat.

Quæstio

QVÆSTIO VI.

An Pontificum Romanorum magnos sumtus facientium
& regalia tecta exstruentium, vera & genuina sit li-
beralitas & magnificentia?

Ignoscat nobis everrenda Paparum magnificentia, quod ex Phi-
losophico foro humili & demisso, in Romanum istud Capitolium, in-
salutatis quidem anseribus, digredi non vereamur. *Suspecta nonnihil*
nobis est splendida illa templorum, edificiorum, palatiorum, canobiorum ex-
structio, ita quidem, ut ipsis eveniat, quod alijs eius generis & farine homi-
nibus; qui paulo antè pauperes, quàm celerrimè diti sunt, splendoribus exstru-
unt, opulenta convivia instruunt, vestimentis utuntur sumtuosis, & nullis non
splendoribus fulgent. De huiusmodi enim nemo non quarit, qui fiat, quod ad
tantum divitiarum culmen pervenire potuerint, quantum alijs,
qui tamen multis laboribus & sudoribus non pepercerunt, attin-
gere fas non fuit. Itaq; & nos iure optimo à Pontificibus nostris sciscitemur,
qui fiat, quod ex exiguo D. Petri Apostoli patrimonio (illud enim unice
pretendunt, & gloriantur) tot ades splendoribus, tot tecta regalia, tot palatia ex-
citare valuerint, cum D. Petrus paupertatem suam ipse testetur Actor. 3.
Aurum & argentum, inquit, non est mihi. Aut igitur nos idem, quod
de ijs, qui repente ex Iris & Lysistratis Crasi & Crassi sunt statui solet, de Pon-
tificibus dicemus, tantas divitias ipsos bono titulo non possidere: aut inquam hoc,
aut aliud. Sed aliud non occurrit. Asseveramus ergò omne quodcumq;
& quantumcunq; Pontifices possident, omne, inquam, illud totâ
suâ latitudine iniustum, iniuste captum, raptum & contractum esse
indeq; questionem nostram sic concludimus: Quicumq; de iniustis & in-
iuste corrasis sumtus facit, ille reverà liberalis & Magnificus nō est.
Atqui Pontifices de iniustis & iniuste contractis sumtus faciunt. Er-
go. An verò bona Pontificū illegitimè contracta sint, nō opus est, ut
quis quærat. Conqueritur totus orbis Christianus, vere ille Catholicus. Te-
stis Germania nostra superioris seculi: testis Gallia, quæ Papæ piscatori isti
non hominum, sed pecuniarum, millies millenos coronatos, quotannis contribu-
ere olim fuit coacta. Et quid quæso ex redemptione palliorum Episcopaliū,
ex annatis pro electionis confirmatione, ex collatione, dispensatione, quid ex li-
teris, bullis, sigillis, quid ex Toleramus, uti vocant, seu tolerantijs cona-
cubinarum, meretricum, & pellicum, compilatum, contractum & corrasum
uit? Taceo missarum & indulgentiarum negotiationes, reliquiarum mer-
catum

*caturas, quibus institores meretricis Babylonica misellos homines miser è de-
fraudarunt, & pecuniâ plusquam sceleratè emunxerunt. Omnia comprehen-
dit versutis suis Mantuanus.*

— — — Sunt venalia nobis
Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, rura, preces, coelum est venale, Deusq;

*Quis verò hic non agnoscat horrendam & detestandam Simoniam?
qui furta non animadvertat furcâ longè dignissima. Sapientissimè itaq; refe-
rente Panormitano, Rex Arragoniæ Alphonsus dixit: Harpyias non
amplius insulas colere, sed ex insulis in Romanam Curiam mi-
grasse, ibique iam suum domicilium constituisse. Quid, quod D.
Bernhard. lib. 1. de Consider. ad Eugenium queritur quòd, ex toto or-
be Romam confluant ambitiosi, avari, Simoniaci, Sacrilegi, concubinarij,
incestuosi, & quæq; eiusmodi monstra, ut Apostolicâ auctoritate vel obtineant
honores vel retineant. Vide optima apud magnum illum Hunnium in
lib. de Eccl. Rom. & Antichrist. p. 365. & seqq. Item in loco de in-
dulgentijs in præfatione.*

*Sed hic ogganniant nobis Pontificuli. Atqui Lutherani Principes post
Lutheri reformationem bonis illis pontificijs ad instauranda tem-
pla, collegia & Scholas maximè utuntur: Ergò & illi ex alienis &
ex iniuste partis Magnifici. Verùm audiant magnum illum Baby-
lonicæ sedis vastatorem Lutherum,*

— — — Cui fulmen lingua, Cor Ætna,
Vox tonitru, calamus grando —

*Tomo 4. Latino Jenens. fol. 187. hunc in modum differentem: Non
malâ conscientia pro labore nostro accipimus mercedem, quæ nu-
meratur nobis ex Papæ bonis. Quæ quanquam per meram impo-
sturam coacervata sunt, tamen Deus spolians Ægyptios, hoc est,
Papistas bonis suis, transfert ea in nostris locis in pium & bo-
num usum: non quando Nobiles ea rapiunt & transferunt
in abusum; Sed quando, ij qui gloriam Dei annunciant, & qui
piè instituunt iuventutem, inde aluntur. Et Tom. 3. in Genes. c. 35. p.
196. b. Quando quæritur, quare nos quoq; non abijciamus malè
parta bona meretricis Babylonicæ, respondemus conferri ea in pi-
os usus, ita ut pecunia, quæ antea diabolo servijt, deinceps ser-
viat Deo.*

Plura

Plura argumenta in hanc sententiam coarcescari possent ex his, quæ verè liberali & Magnifico suprà præscripta sunt, quomodo nempe liberalitatis suam cum Pharisaico illo Pontifices habeant communem: quomodo carobia & alia ædificia, sub prætextu quidem cultus divini extructa, omnium scelerum & libinum officina & lupanaria exstiterint. Sed hic iterum manū ferendum. Pontifices igitur Romani (quod conclusum hic esto) tam verè sunt Magnifici, quàm verè Petrus fuit Papa, Papa Christi vicarius, Caiphas Apostolus, Herodes Propheta, Pilatus Evangelista. Vide de hac questione non inveniusta apud Erasmum in Dialog. in Colloq. Religioso.

QVÆSTIO VII.

An avari rectè jactent Dei benedictionem?

Questio hæc priori proximæ non incommode associatur. Benedictionem enim divinam Pontifices etiam regno suo adfulsisse persuadere sibi poterant. Verùm iterum B. Lutherus audiatur Tom. 4. pag. 668. in cap. 12. Hoseæ. Avari non solum excusant se, sed etiam sibi blandiuntur, quasi ista opum vis, tam malis artibus parta, sit benedictio Dei. Sed eventus comprobat non esse benedictionem. Verè enim, ut Micheas dicit, malè partæ opes sunt quasi ignis in domo divitis. Sequuntur enim eas certæ calamitates. Sicut igitur beneficentiam comitatur benedictio: ita vesanum hoc studium augendæ rei multiplices pænæ comitantur, quas etiam in heredes cum opibus derivari experientia commonstrat. Hec ille. Sic Pontificum regnum calamitates, avariciam & injustè divitias contrahendi libidinem subsequetas, satis superq; magno suo damno superioribus annis est expertum,

QVÆSTIO VIII.

An prodigus avaro melior?

Sic placet Aristoteli: Placet veritati: placet & nobis: neq; id sine ratione: Erubescat enim Philosophus loqui sine ratione, ut lictus sine lege. 1. autè prodigus nō tam longè recedit à mediocritate, quàm avarus. Etiā si enim in medio erret, actionem tamen habet aliquo modo virtuti respondentem, cum in multis actionibus liberali sit similis, detq; libentius, quàm accipiat. 2. Qui prodigus sanari & citius à vitio suo abstrahi potest, quàm avarus: vel enim ætas corrigit maturior, vel deplumatum tandem egestas quiescere jubet.

Cur

Cur avaricia morbus & vitiosus sit, in thesibus supra annotavimus. 3. Prodigus non tam malitiâ, quam stultitiâ peccare videtur: quia plus justo largiri, nihil autem accipere, simplicitatem potius præ se fert, quam indolis male indicium. 4. Prodigus etiam aliis utilis est & multos suis largitionibus juvat. Cum enim omnia sua bona profundat, fieri non potest, quin nonnunquam in homines quoque dignissimos beneficia conferat. Avarus autem neque sibi, neque alijs benefacit, nisi forte moriens oper suas inter heredes distribuendas relinquat. Vnde dici solet, avarum nunquam benefacere, nisi tum, quando moritur.

Sed ne quis existimet, nos prodigum omninò in Liberalitatis regiam introducere, protestamur hîc & dicimus, nec prodigum, nec avarum bonum & laudabilem esse, si absolutè loquaris: meliorem tamen alterum, si invicem compares, idque ex naturâ communi ceterorum extremorum omnium, cum circa omnem virtutem aut excessus aut defectus sit melior. 2. Nicomach. 8. Deinde & hoc est animadvertendum, esse prodigalitatem simplicem vel mixtam. Theof. 53. De simpliciter ergo prodigis nobis sermo fuit. De iis vero, qui cum intemperantiâ & iniusticiâ unâ sedus inierunt, asseverare non erubescimus, nisi omninò sint deteriores, nihilò avaris esse meliores.

QVÆSTIO IX.

An luxus & sordes deteriora sint vitia & magis reprehendenda, quàm prodigalitas & avaricia?

Ansam questionì huic præbere videtur ipse Arist. lib. 4. Nicomach. sub finem capitis secundi, cujus verba; ad interpretis linguam, sic habent: Ac sunt quidem hi ipsi habitus vitiositates: non tamen opprobria adferunt, propterea quod neque proximis sint perniciosi, neque valde deformes.

Duriuscula autem, ut videtur, appendix. 1. enim verissimum Poëta:

Omne animi vitium tantò conspectius in se

Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.

2. Prodigalitas & avaritia in privatum tantum peccant: luxus & sordes in publicum commodum, vitio sanè longè maximo. Nam

Publica privatis anteferenda bonis.

3. Luxus potissimum mutationis aut alterationis vel interitus reipubl. causa est. Expensa enim inutilia, quæ sunt nempe in convivia superflua, & in personarum profusas largitiones magnum detrimentum afferunt reipublicæ: tum quòd postea pecunie in necessarios sumtus desiderantur: tum etiam quòd populus pro his multis onerandus sit tributis, quibus tandem lasus rebellandi occasiones accipit. 4. Videatur, P. Gregor Tholosanus de republ. l. 22. c. 4. qui de his eruditè & copiosè multa differit, ac inter alia hæc habet: Quid his vitiis scelerius, quid etiam damno-

D

sus,

flus, quibus virtus atteritur, victoriae languescunt: sopita gloria in infamiam conver-
titur, animiq; pariter ac corporis vires expugnantur: ut nescias ab hostibus ne, an ab
illis capi perniciosius habendum sit? scribant auctores fide digni (Val. Max. l. 9 c. 1.
Cic. l. 5. Tusc.) Xerxem opum regiarum ostentatione eximia, eò usq; ad luxuriam
gaudentem: Cum edicto premium ei proposuisset, qui novum genus voluptatis re-
perisset, dumq; delitii nimis captus esset, amplissimo regno ruinam dedisse. Exem-
pla ejusmodi everfusionum d. l. vide plurima. itemq; c. 5. 6. &c. hujusmodi vitio-
rum remedia. 5. Ipse Aristoteles lib. 5. pol. cap. 10. multos reges & princi-
pes periisse ait, quòd in voluptatibus viventes effecti sint contemnendi, ac praebe-
rint occasiones opprimendi se. Et haec quidem satis superq; declarant, quantum per-
nicii, quantum deformitatis, quantum deniq; probri hi magnificentiae, prae reliquis
liberalitatis excessibus, habeant. Sed quid nunc ad Philosophi sententiam? Respon-
demus. 1. Philosophum remove ab hisce extremis turpitudinem, iudicio quidem &
sententiâ vulgi, non considerantis quid reverà turpe sit & ignominiam habeat atq;
dedecus: sed unde detrimentum in alios proficiatur, & in quo feditas sit tan-
ta, ut offensio & odium necessario consequatur. Camerarius in hunc lo-
cum. 2. Mentem Philosophi esse, haec extrema si comparentur ad pleraq; alia
vitia, ijs leviora esse. Hipperius in hunc locum. 3. Eum, qui cum Reipub. detri-
mento nimis magnos sumtus facit, non tantum in leges magnificentiae; sed &
justitiae & aliarum etiam virtutum graviter impingere. Et tantum etiam de hac.
At nunc:

Anchora de prorâ jacitur: stat littore puppis.

AD ORNATISSIMUM DO- MINVM RESPONDENTEM

ET quid dissimulem mentem? Te laudo GEORGI-
ANDREA, Aönij portio amanda Chori.
Lando, quòd hic animus didicisse fideliter artes,
Et Sophiae his studiis invigilasse prius;
Quàm te Theologia prorsus committere cura.
(Cura ea sancta tibi est, cura tibi & Sophia est!)
Perge ita! Nam Sophia id quondã venerabile nomen,
Quàm nunc pro vili sub pedibusq; jacet!

In

*Indocti multi, instructi nec ab artibus ullis
 Praepropero saltu pulpita dia petunt.
 Et licet ambiguïs hinc errent flexibus, imò
 In dumosq; ferant & vaga texta pedes:
 Mens tamen effera, iudiciumq; superbit in illis.
 Quid causa est? Dicam: nil quia Philosophum!
 Namq; patrociniũ ut vitis robustior ulmus
 Suscipit: ipsa sua Martia spina rosa:
 Sic ancillantur VERBO monumenta Sophorum,
 Gratiaq; alternis nascitur officiis.
 Perge ergo, ò noster, Sophia penetrare recessus:
 Imò hanc virtutis currere perge viam.
 Pleniùs (euge!) bibes sacro de fonte liquores,
 Bellerophonteis exsaturatus aquis.*

M. Henricus Velltenius P. Prof.
 Philosophiæ moralis. Præses.

Odit iners vulgus Mavors. Qui signa cruenta
 Sectatur belli, haut grave tempus, sive labores
 Hunc sævi frangunt: nò hunc imbrèsve, nivèsve,
 Frigora non brumæ, sitiensvè Canicula terrent.
 Multa tulisse juvat, fecisse & multa: diuq;
 Et noctu vigilem. Tandem ergò larga sequuntur
 Præmia. Dulce Ducis nomen, Phœbeaq; Laurus.
 Militiæ studia species. resides procul este!
 Non hic segnis erit, discinctaq; in ocia natus,

Theſ.

Thespiadum in castris qui nititur æra merere.
Sudâsse, alfiſſe hîc, multum & vigilâſſe juvabit:
Optatam donec poſſis contingere metam:
Pierios inter donec tibi nobile ſurgat
Nomen: in Aonia Duxq; appellêre palæſtrâ.
Fallor? an hinc rectè, FABRICI, longè improba pellis
Ocia, deſidiâmq; fugas, ſeu tempora lucis,
Noctis ſive ſuant, doctorum ſcripta virorum
Aſiduè volvens. Quin crebrò prælia miſces,
Prælia non Martis dira, at perdocta Minervæ:
Multijugas ſolidè perſcrutans, atq; reſolvens
Philosophûm tricas. Sic dictat nempe ſagacis
Naturæ genius, inſtillans talia menti:
Aude aliquid Magnis Muſis, & Apolline dignum,
Si viſeſſe aliquid. Torpor culpatur & alget.
Perge, age! cum meritâ ſic præmia laude parantur.

Philippus Horſtius Brunſvigâ - Saxo.

FINIS.



Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden

nach Ausleihe

an Retro-Ecke

OL

Zurück!

VD 17



